PS. EUSEBIUS CREMONENSIS. PS. AUGUSTINUS. PS. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS. ISIDORUS HISPALENSIS

Salzburg, 1470 Seite 73v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8135
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



quid facerent nescientes. Gloriosus
deus in sanctis suis mirabilis in maies-
tate sua benignus et se amantibus mise-
ricors sanctos suos non derelinquit
in tempore necessitatis. Ad extremam
namque horam venerabili Eusebio per-
veniente beatus et gloriosus hyeronimus
apparuit eum benigne confortans.
Cuius adventu omnis illa demonum tur-
ba quam infinita eius timore perterrita
ab eo velut fumus evanuit. Ut plu-
res testantur monachi qui propriis
oculis dispensacione divina se hoc vidis-
se dicunt. Sed hoc magis approbatur
Nam omnes circumstantes audierunt
has ab Eusebio voces. Unde venis
pater quare tantum moratus es. Cui
subito cunctis audientibus alia vox re-
spondit. Expecta fili ne formides quia
te non deseram quem tantum diligo.
Qua audita voce brevi mihi decursa mo-
rula Venerabilis Eusebius expiravit
qua quidem hora et illi tres qui re-
suscitati sunt migravere et utputo cum
Eusebio ad eterna gaudia pervenerunt
Nam per illos omnes viginti dies quibus
postquam ut nosti resuscitati sunt se in tanta
penitencia tradiderunt quod sine dubio eterna